

Pag.

824, post **Z. fallacem** insere :

Z. tapetodes, annua glabra nana gregaria, caulibus tenuibus jam paullo supra basin dichotome ramosissimis, foliis petiolatis oblongis runcinatis, floralibus pedunculos æquantibus lineari-filiformibus integris, pedunculis tenuibus capitulo parvo sublongioribus, calyculi involucri quintuplo brevioris squamis 4-5 ovato-triangularibus, phyllis involucri linearibus glaberrimis, flosculis involucri sesquilongioribus, acheniis..... ☉.

Hab. in fissuris rupium districtûs Hariab Affghaniae (Aitch. 589!).

Planta 1 1/2-2-pollicaris ramis intricatis tapetas vel pulvinos musciformes rupes vestientes formans. Capitula eis *Z. asplenifoliae* minora, achenia ignota et ideo affinitas dubia.

826, **Z. glomerata**, adde :

Ar. Geogr. India boreali-occidentalis.

830, **Cymboseris Palæstina** in Benth. et Hook. Gen. Pl. II, p. 516 ad varietatem grandifloram *Crepidis (Phæcasii) pulchræ* reducta specificè differt præter capitula duplo majora acheniis externis corticosis compressis triquetris alatis internis basi in membranam tubulosam dilatatis. Si tamen phyllorum involucri fructiferorum induratio majoris momenti quam acheniorum structura esse videtur, tunc *Crepis pulchra* et *Cymboseris Palæstina* cum *Crepide Reuterianâ* sub genere vel sectione *Phæcasio* approximandæ.

837, **Crepis macropus** β . *Phrygia*, adde :

Hab. in monte Idâ Troadis (Sint. 712!).

838, post **C. Sahendi** insere :

C. Aitchisoni, radice verticali, foliis omnibus radicalibus rosulatis pallide virentibus sparsim setulosis obovato-oblongis runcinato-lyratis segmento terminali ovato vel oblongo acute dentato laciniis lateralibus parvis triangularibus acutis secus costam decurrentibus, scapo nudo dichotome 2-4-cephalo, capitulis longe pedunculatis parvis, involucri phyllis lanceolato-linearibus ab externis ad intima margine membranacea sensim elongatis omnibus pube glandulosâ pallidâ obsitis ♀.

Hab. in pinetis ad Hariab vallis Kuram Affghaniae (Aitch. 38!).

Folia 2-3 pollices longa segmento terminali pollicem longo, scapus pedalis, capitula juniora tantum nota eis *C. Athoæ* et *C. Sahendi* minora esse videntur. Eis affinis, sed foliis lyratis diversa.

841, **C. Columnæ**, adde :

Hab. in montibus Œtâ Phthiotidis et Tymphresto Ætoliæ 5500-7000' (Heldr.!).